

00

9949

Qu



32

927.

ANNUE JESU!  
 DIATRIBEN MEDICAM  
 DE  
**DIURETICIS,**

consensu & auctoritate illustris & gra-  
 tiosissimæ Facultatis Medicæ in floren-  
 tissimâ Salanâ,

*publicæ Φιλιατρῶν Δασκείης subjiciunt*

**GEORGIUS WOLFFGANGUS  
 WEDELIUS, MEDICINÆ  
 LICENTIATUS,**

&

**CONRADUS THEODORUS VVITTE,  
 SUSATO-VVESTPHALUS,**

*in Auditorio Medicorum,*

*ad diem Augusti*

1667.

---

JENÆ,  
 TTPIS SAMUELIS KREBSII.



929.

DILECTISSIMO  
 GEORGIUS WOLFFSTADTENSIS  
 MEDICINAE  
 DOCTOR  
 COMITATUS THURINGORUM  
 SUGGATO WESTPHALIS  
 in Archione  
 ad die  
 1767  
 P. N. A.  
 THE SAMUELIS KRESSL





I. N. J.

PROOEMIUM.

**N** medicinâ πολυμηχανία est necessaria: omnibus modis exturbandus hostis, & extra clima animati corporis relegandus.

Sensibilis evacuationis species sunt quatuor: per alvum, urinam, vomitum, & sudorem. Hæ κτ' τινὲ παρ' ἀλλήλων ἀεδοχλῶ conspirant in morborum internecionem, & quò natura vergit, ceu principalis dux, eò eliminant morbificum genus.

Sæpenumerò inefficax medicamentum fortuna nobilitat, si jussui naturæ & inclinationi obsecundet. Quò enim natura aurigatur, eò, non quò gula, ducenda est materia.

Heroica verè & universalia præsidia sunt, quæ per alvum, vomitum & corporis peripheriam evacuant: non ultima tamen palma debetur diureticis.

Urinæ humorum in corpore sunt quædam defecta portio: lotium sanguinis vitium quoddam, ut, *Plinio* dictatore, & tum vini est vitium, arguit *Billich. l. 1. c. 3. parad. p. 35.* Quid mirum, cum illis per medicamenta segregatos humores, fomitem & ὑπόκαυμα morborum secum ferentes, ejici?

A sapientiæ studioso, *Galeno* teste, nobiliora tantùm contemplanda, non omnia complectenda. Quid nobilius diureticis? Digna itaque illorum contemplatio, quam, faxit divinū Numen feliciter, hæc vice instituimus.

A 2

CAPUT



CAPUT I

ὀνομασολογίαν & πραγμασολογίαν COM-  
plectitur.



Uod sæpiùs & multum lotii proritat, *διετηλικόν* vocamus.

*Διετηλικὰ* alia καὶ ἐξοχλῶ & propriè ita dicuntur, alia *impropriè*, speciali nomine vocata *ετηλικὰ*. Illa sunt, quæ per se & propriè movent urinam, fundendo humores & attenuando, hæc abstergendo, & partem humoris conferendo, & serosum, quod est in corpore, auferendo.

Juxta alios in triplici sunt differentiâ. *Quædam* acria, exsiccantia, extenuantia, quæ coaguli instar partem serosam à sanguine secernunt, & pituitam cæterosque humores liquant, partique serosæ permiscunt, de quibus agit *Galenus* 5. *simpl. med. fac. c. 22*. Alia augent seri quantitatem, ut *vinum aquosum*, vel ad vias urinæ humores deferunt, ut *rhabarbarum*. Alia vias urinæ abstergunt, ut *terebinthina*, *semina frigida* &c.

*Quædam* medio modo se habent. Imò res penè eodem recidit, si dicatur, *impropriè dicta* solùm temperatiora magis esse.

NOMEN acceperunt ἀπὸ τῆς ἔργου, ab urinâ, ὅτι δι' ἔργου κενῶσιν, quia per urinam evacuant. Nonnullis ab ἔργου i. e. ἀνεμοῦ ventus, derivantur, quòd in vapores resolvant & in auras diffent, & dissipent, ὅθεν τὸ ὀρεῖν, irruere, gradu concitato ferri, quòd ferantur ab illis impetu quodam ad renes humores tenues.

*Uretica* peculiariter dicuntur, autore *Galeno*, l. 5. *simpl. c. 21*. five urinam moventia, non quia solùm moveant urinas, sed quia solas, non lac & menses, quæ finitima sunt medicamenta, ut *ibidem* asseritur.

DESCRIBI propriè dicta possunt, quòd sint *medicamentâ ex triplici regno desumpta*, quæ tenuitate partium, vi calefaciendi, fundendi & segregandi, humores vitiosos, undiquaque in corpore latitantes, segregant, & qui segregati jam sunt, imprimis serosos, per urinam evacuant.

Serosa



Serosa humiditas, postquam constituit *ὄχνημα τῆς τροφῆς*, juxta Hippocratem, sicque commisso defuncta est munere, vid. Gal. 4. de U. P. 5. & 6. tanquam quoddam superfluum corpori- que alendo minus aptum ad emissoria excrementitiorum su- perfluitatum ablegatur, teste Oribas. l. 1. collect. c. 1. Gal. 4. de U. P. c. 5. & 3. de vict. rat. in acut. t. 17. l. 1. de sanit. tuend. c. 12. & maxi- mè per renes è sanguine transcolatur.

Individuus serum sanguinis est comes, antequam secerna- tur; imbibit itaque omnium humorum tincturas, biliosorum, pituitosorum, melancholicorum. Hoc si restagnet, lixiviosâ & acri suâ qualitate variis partibus in toto corpore insidias ma- chinatur. Nec intus solùm desævit in penitiori viscerum culi- nâ, ut cum *Helmontio* loquamur; sed & extimam afficit vestem, variasque in cute producit efflorescentias, testantes de præsen- tiâ ejus in corpore, quorum morborum & symptomatum, ex se- ro puta prodeuntium, varietatem recensuit *Magnif. Dn. D. Rol- fincius*, ord. & meth. comment. l. 2. s. 3. c. 5. p. 57. *Nobiliss. Dn. D. Schenckius tr. de sero sangu. c. 6.* & *Carolus Piso tractatu singulari.*

Conveniunt idcirco diuretica, si serosa humorum collu- vies indicet evacuationem, imprimis si proprio & facultatis ex- pultricis motu ad renes & vesicam descendant 1. aph. 21. de quo inferiùs plura.

## CAPUT II modum agendi explicat.

**Q**uâ facultate agant diuretica, si quærat, respondet *Gale- nus*, tam manifestâ, quam occultâ Illa tum calida est & sic- ca, si propriè dicta respiciamus; tum frigida & humida, si im- propriè appellata. Hæc à totâ substantiâ & *τρίτη τῆς μίξεως* agendi sortiuntur vim, v. g. *cantharides*.

Quæ primis manifestis qualitatibus agunt, id sine secun- dis locis non expediunt, quatenus nempe ut calida attenuant, fundunt & liquant, ut sicca avidiùs attrahunt. Frigida & humi- da verò exprimendo calorem, abstergendo, & tonum renum laxando, illud exequuntur.

A 3

Td



Τὰ διερρηκὰ θερμαινόμενα ἐν τῇ κοιλίῃ θερμαίνονται τε ταχὺ, καὶ μαλαίνονται, καὶ τήκεται, καὶ τὴν διαχώρησιν διὰ τοῦ ταχείου παρέχει. *Urinam cientia in ventre & citò calefiunt, & calefacta marcescunt ac liquefcunt, & ob id citum secessum faciunt, ait Hippocrates περ. παθ. c. 50. t. 15. Ὅμοια ἢ θερμὰ καὶ ὀρώδεια, ἄρεια, quæ acria & odorata sunt, urinam cient, scribit idem de diet. c. 27. t. 4.*

Τὰ ἰσθηκὰ ξηρὰ καὶ ψυχρὰ, quæ verò urinam cient (impropiè) sicca & frigida sunt.

Quæ acriora sunt & magis excalefaciunt, urinam movent, scribit Galenus 5. de simpl. med. facult. c. 13. à quibus sanguis non extenuatur duntaxat, sed & funditur ac secernitur, non secus ac lac, quod coagulatur, seroso videlicet & tenui seorsim segregato, crasso verò in sese eunte. Siquidem quò facillimè ad se attrahant renes, quod in sanguine aqueum tenueque ac serosum est, utraque hæc conferunt, nempe totius sanguinis primùm fusio, deinde segregatio, quorum neutrum absque valido calore peragi queat.

Caliditate ergò hæc suâ & penetrandi vi singulari permeant sanguinis poros, undiquaque segregationem moliuntur, & ad renes transmittunt fusos, attenuatosque ichores, qui facillè tunc diffluunt.

Impropria verò potiùs ob tenuem substantiam cient urinam, quàm ob calorem.

Chimici præcipitandi vi diuretica serum evacuare contendunt. Præcipitari sanguinem ajunt in renibus, ubi materia serosa à reliquo cruore secernitur, non secus ac serum à lacte: ob quam rationem diuretica sunt ejusmodi, quæ & lacti coagulationem inducunt: ideoque quia sanguinem fundendo plus præcipitant, largam urinæ profusionem inferunt. Vid. *Willis de ferment. c. 11. p. 84.*

Iidem Ἐπινοῖν in primis principio diureticam adscribunt vim. Sale nil magis diureticum pronunciant.

*J. B. Helmont.* in principio Ἐπινοῖν consentit, & omnem diureticorum opem fabricari in stomacho ipso statuit, neque materialiter illa per renes usque in vesicam dispergi, *in adit. præclus. ad cond. visc. §. 1.*

Neque



Neque tam Alkalibus vim hanc attribuunt, quam ꝑ eis volatilibus, quæ omnem venarum amurcam abstergant.

Quæ ab occultâ qualitate urinam movere dicuntur, nunquam sine manifestis se exserunt; hinc videmus, cantharidibus incautius adsumptis ardorem & lancinationes dolorificas perferentisci.

### CAPUT III materias diureticorum propriè dictorum ventilat.

**V**egabilia *U*linarum & *F*ialium partium excellunt.

**RADICIBUS:** *s.* aperientes majores & minores, acori veri, asari, apii, asparagi, quæ urinam fœtentem reddunt, diptamni cretici & nostratis, dauci, fœniculi, graminis, filicis, filipendula, belenii, hirundinaria seu vincetoxici, ononidis, petroselini, raphani, rubia tinctorum, tamarisci.

De radice china Job. Baptista Montanus l. 2. consult. medic. c. 105. scribit, illam facere, ut plurimum urinæ mingatur, aliquando ad mortem etiam. Vidi ego, addit, in quodam quotidie 40. pocula urinæ ejici.

**FOLIA** betonica, agrimonia, ceterach, capillorum ♀, origani, virgæ aureæ, dauci cretici & nostratis, saxifragiæ, rosmarini, quibus cum floribus sambuci in vino rhenano infusis nonnemo mulierem hydropicam curavit, ebuli, spicæ nardi, polium montanum, calamentha, tabacum. Hinc diureticum peti fumum commendat Heer. Spadacr. c. 12. p. 105. ad acidularum è corpore eliminationem, cum in ventriculum dimissus aquas calefaciat, atque ita mictionem seu aquarum exitum maturet.

**FLORES** plantarum enumeratarum, sambuci, genistæ, turionnes rusci, experimento venerandi Dn. D. Rolfsncii.

**SEMINA** anisi, cerefolii, cicerum rubrorum, seseleos, cardamomi, dauci, quæ tantoperè dilaudat Helmontius in calculo, violarum, milii ☉is, urtica Romana, saxifragiæ, quæ radix sunt tuberosa, apii, hyperici, genistæ, nasturtii, alkekengi, 4. cal. maj. & min. ammios, petroselini, asparagi, raphani.

LIGNUM



**LIGNUM** nephriticum, aquam cœruleo colore tingens.

**RESINA** terebinthina, cypria, veneta, laricea, quæ tamen *καυρόμαχα* ☉. Mel, herbarum illud magisterium, autore ipso Hippocrate περ. παθ. c. 50. t. 15.

**EX ANIMALIBUS** millepedes, lumbrici, vesica mustela, di-  
stante Massariâ, l. 11. cap. ult. p. 494. Testa ovorum gallinae commu-  
nes, & ex quibus pulli sunt exclusi, struthii. Cruor hirci, jubent enim  
communiter hircum prius diureticis alendum, cujus cruorem  
medicinæ destinant. *Helmont, sextupl. digest. §. 74.*

*Bufo sylvestris*, qui in nemoribus invenitur, scissus totus  
per ventrem, & super renes ligatus mirabiliter per urinam  
serum educit, ait *Guil. Varignana tr. 2. c. 4.* quod etiam tradit  
*Cardan. l. 7. de rer. variet. c. 28. p. 470.* & *Helmont. in hydrop.*  
*ignot. §. 36.*

*Cantharides* potentissimè urinam cient. Hinc cautus eo-  
rum debet esse usus. Viscera exulcerare & inflammare asserunt  
*Diosc. l. 6. Avic. 6. quart. tract. 2. Gal. l. 4. de vict. acut. com. 124.*  
unde & urinam cruentam reddere creduntur. Necessitate ur-  
gente in usum vocandas affirmat *idem l. 3. simpl. c. 22.* Communi-  
ter, abjectis alis & pedibus, præscribuntur, quâ de controversiâ  
*vid. Alex. Massar. l. c. & Zacut. Lusit. M. P. H. l. 2. hist. 117.* qui alios  
autores allegant, quibus addi potest *Hoffm. paralip. offic. p. 518.*

Hoc mirum est, quod *Solenander* annotat l. 1. conf. 9. p. 39.  
*cantharides* ad ꝑem ciendam datas affectum hypochondria-  
cum concitasse.

*Scarabæum majalem unctuosum* in calculo & podagrâ ceu se-  
cretum loco diuretici commendat *Borellus cent. 4. obs. 73. p. 337.*

*Scorpionem* diureticum esse, palam est. Quidam artificia-  
lem III ex basilico herbâ parari posse certò affirmant, quo de  
jam olim scripsit *Plinius.* Idem consignarunt *Pareus l. 19. c. 3.*  
*Helmontius, Höferus Herc. med. l. 2. p. 110. Hoffm. M. O. l. 2. c. 31. p. 122.*

**LAPIDES**, nephriticus, lycis, judaicus, & alii lithon-  
triptici.

Vinum, in quo silices combusti extincti toties, donec planè  
in pulverem redacti fuerint, ad haustum unum subitò urinam  
pellere propter ☉ silicum, affirmat *Hartm. pr. ch. l. 1. c. 6. §. 3.*

Oculos,

Oculos, vulgò ita dictos, S maximè extollit *Helmontius*, quibus bullitis cum vino, ubi lixiviam nanciscuntur saporem, lienis irato archeo subvenit, *pleur. fur. S. 35.*

PRÆPARATA ex his consurgunt varia.

SICCA: *tragema ex rad. ari Q. spec. lithontriptica, justina, diacumini.*

SALIA ALKALIA: *genista, ononidis, halicacabi, fraxini, tilie, ebuli, sambuci, stipitum fabarum, lapis prunella cum saccharo crystallifatus laudatiss. Dn. D. Rolincii, O bezoardicum, A Pri, borax, S alembrat. Salia hæc vel per se, vel, quia ob saporem lixiviam à delicatiori palato ægerrimè sumi consueverunt, per S vel O li crystallifata, minori cum fastidio, majori efficaciam dotata offeruntur.*

S bufonum seu pulverem eorum in clibano exsiccatorem mirificè urinam pellere, singularis fortuita experientia detexit mulieris illius *à v d e g Q w s* apud *Wierum l. 3. de prestig. demon. c. 35.* & in *observ. cap. de hydrope*, quæ mortem parans marito hydro-pico, opinione citius sanitatem reduxit. *Ranarum S* item commendatur à quibusdam.

S crystallorum chemicis prædicatur.

VOLATILIA *succini, C. C. nasturtii, lumbricorum terrestrium, urina, silicum, alkali Pri volatilifatum, quod tantoperè deprædicat Helmontius, & dilucidat egregiè Excell. Dn. Daniel Ludewig, tractatu proprio.*

Flores S \*ci non solùm sudorem, sed & urinam movent.

Referuntur huc etiam *lixivia*, tanquam S lia in fieri, ex *sarmentis vitis, lomentis fabarum, cacuminibus fraxini, juniperi, geniste, hederæ, lixivium benedictum Myns. &c.* quibus solis sæpe restituti hydro-pici.

MAGISTERIA *lapidum S, petroselini, talorum leporis, & lapidum lithontripticorum, S O l. S O trat.*

Ex SPISSIS occurrunt *conserva & rob plantarum supra dictarum. Electuaria Justini Ducis, Montagnana. Pilula de cantharidibus apud Scholz. conf. 131. MP. de terebinth.*

LIQUIDA: *halicacabi, ononidis, petroselini, fœniculi, urticae, capill. S, composita diuretica Agricola, vinum Rhenanum.*

B

MA



▽ *marina* vim habet urinam ciendi, & proinde commen-  
datur à nonnullis hydropicis pro experimento sæpius probato.

*Urina ipsa* epota abstergit vias, ☉linis partibus diuresin  
valenter provocat, & ad sanandos quamplurimos morbos, tum  
ipsius vulgi iudicio, tum celebrium medicorum testimonio  
multum pollet, quorum catalogum videre est apud *Zacut. Lust.*  
*M. P. H. l. 2. hist. iii.*

*Urinam capræ* laudat *Gal. 9. de comp. med. καλ. τὸ π. c. 3.*

SPIRITUS: ✓ s. ☿ *risatus*, ☉linis s. ☉linis *marini Helmon-*  
*tianus*, ☿ *compositus*, ☉ *risatus Glauberi*, *aperitivus Penoti*, *arca-*  
*num ri*, ~ C. C. *ligni sancti, trium mineralium, fuliginis*, ☉linis, *phi-*  
*losophici striati*, in quo lapides ☉ soluti, ☿, ☉, ☉, ☉ *dulcifi-*  
*catus, sambuci, ebuli, M. S. tinctura Mæbiana aperitiva*, ~ ☿ *compo-*  
*situs colcotharinus Paracelsi.*

Horum nonnulli urinam cient & sudorem, illam ☉linā  
potissimū, hunc ☿eā vi.

ESSENTIÆ & TINCTURÆ: *Essentia petroselini, levistici,*  
*sambuci, lapidum ☉*; *Tinctura flor. rosarum, cyani, calcatrippæ,*  
*cerefolii, ☿ii risata, juniperina Myns. bacc. alkekengi, extr. ea-*  
*runders, malvaticum juniperinum Rolsincianum, balsamum ☿ tere-*  
*binthinatum, essentia scarabæorum majalium.*

DECOCTUM diureticum ☿. ☿ *Cratonis*, & plantarum su-  
pra enumeratarum.

SIRUPI de 2. ☿ 5. *radicibus, althææ, oxymel diureticum Hart-*  
*manni, sirupus de scoriâ ☿. Ludov. Mercati, quem describit Car. Piso*  
*de morb. ex serof. colluv. obs. 51.*

OLEA: *sem. petroselini, dauci, terebinthinæ æthereum, ☉ ceræ.*

## CAPUT IV

### magistralia composita delibat.

Cum facilè hæc per se pateant, ideò parci erimus.

Rx. *rad. aspar. saxifrag. a. ʒj.*

*spicæ nard. ʒij. sem. dauci, petroselini a. ʒj.*

*cicerum rubrorum ʒʒ.*

Coq. in f. q. ▽ simpl. ad tertias. Colat.

adde

adde ~  $\Theta$  nephrit.  $\mathfrak{z}$ j. edulcetur *fir. capill. ♀*.

$\mathfrak{S}$ . Harnreibender Trancf.

Si decoctio fiat, validam prorsus cocturam fieri jubet *Al. Massar. l. 3. prax. c. 16. p. 190.* ut tota fermè medicamentorum substantia in aquam transfundatur.

$\mathfrak{R}$ . *terebinth. in  $\nabla$  ononid. lot. coct.  $\mathfrak{S}$  pulv.  $\mathfrak{z}$ j.*

$\Theta$  *stipitum fabar. ononid. a.  $\mathfrak{z}$ \mathfrak{B}.*

*elaeosacch. dauc.  $\mathfrak{g}$ . vj. M. F. Pulv.*

$\mathfrak{S}$ . Harnreibendes Pülverlein.

$\mathfrak{R}$ . *magist. lap.  $\mathfrak{S}$ . pisolithi a.  $\mathfrak{z}$ j.*

$\Theta$  *volat. succin. ~  $\Theta$ l. coag. a. gr. iv.*

*sacch. ad p. o. M. F. Pulv.  $\mathfrak{S}$ . u. f.*

$\mathfrak{R}$ .  $\nabla$  *onon. petrosel. urtic. a.  $\mathfrak{z}$ ij.*

~  $\Theta$   $\mathfrak{z}$ j. *julepi diuret. Hartm.  $\mathfrak{z}$ ib.*

M. F. Potio.  $\mathfrak{S}$ . TreibeTrancflein.

$\mathfrak{R}$ . *terebinth. venet.  $\mathfrak{z}$ j. vitell. ov. n. j.*

*vini rhenani  $\mathfrak{z}$ iv. Agitentur invicem, edulcentur*

*fir. byzantin. q. f. ad gratiam.*

$\mathfrak{R}$ . ~  $\mathfrak{F}$ , *clyssi  $\mathfrak{z}$ ii a.  $\mathfrak{z}$ j. tinctura ros.  $\mathfrak{z}$ j. M. in vitro.*

$\mathfrak{R}$ . ~ *ebuli, sambuc. a.  $\mathfrak{z}$ \mathfrak{B}.  $\Theta$  lumbric. volat.  $\mathfrak{z}$ j.*

M.  $\mathfrak{S}$ . vermischter spiritus.

$\mathfrak{R}$ . *MP. de terebinth.  $\mathfrak{z}$ \mathfrak{B}. cantharid. ppt.*

*sem. ammeos a.  $\mathfrak{g}$ . iij.  $\circ$  amygd. amar. q. f.*

M. F. Pilulæ. D. in scat.  $\mathfrak{S}$ . Treibepillen.

## CAPUT V.

### Externa propriè dicta.

**L** Apide nephritico urinam moveri, si is brachio alligatus, vel  
Larmillæ instar gestatus fuerit, experientiâ suâ contestatur  
*Walæus M. M. p. 71.*

Conveniunt externè apprimè **OLEA**: juniperi, chamameli,  
anethi, apii; Ex animalibus  $\circ$  M. simplex  $\mathfrak{S}$  compositum Matthio-

li, ex iiii vivis ad iram calore ignis commotis, in oleum olivarum coniectis, quale parare vidimus apud *Magnif. Dn. D. Rolfinium in demonstrat. chim. publ.*

Exterius hoc adhibitum excellit, quamvis sint, qui & interius exhibere audent.

*Lazarus Riverius cent. 1. obs. 55.* infantem undecim mensium catarrho, tussi, crebroque pituitæ vomitu, è sero natis, simulque parçâ & paucâ urinæ mictione afflictum, in unctâ lumbari regione  $\odot$  iiii *Matthioli composito*, in integrum vidit restitutum.

*Cepæ* in oleo lini, iiii &c. coctæ pro cataplasmate urinam provocant.

UNGUENTA *dialthææ*, ex pinguedine cuniculi & alijs profunt.

Non ineptè applicari diuretica umbilico, quasi per urachum adhuc patentem (ligamentum quo vesica umbilico alligatur) ex *Wieri* sententiâ vis eorum ad vesicam penetrare possit, contra eos, qui negant, urachum esse pervium, monet *Guil. Fabric.* fol. 574.

$\mathcal{R}$ . *scarabæum majal. unctuos. n. j. cantbarid. Hisp. n. iv.*  
Involutæ sindoni rubræ applicentur umbilico.

$\mathcal{R}$ . ol. iiii. *scarabæi majal. a. 3ß.*  
*terebinth. ather. 3ß. M. in fict.*

$\mathcal{R}$ . unguent. *dialth. 3j. pingued. cunic. 3vj.*  
ol. iiii *Matth. 3ß. M.F. unguent. S. Euserlich Sälblein.*  
Inungatur pubi, perinæo, lumbis.

$\mathcal{R}$ . fol. *chamem. Rom. mj. lauri mß.*  
*summit. origani p. iij. sem. dauc. 3ß.*  
*separ. n. ij. M. F. sacculus, qui coctus*  
in lixivio applicetur.

## CAPUT VI

### impropriè dicta diuretica examinat.

Stant

**S**Tant hæc post principia, nec tantâ agendi *ἐπεργεία* celebria sunt, sæpe tamen usibus non contemnendis se commendant.

**RADICES** *althææ, malvæ, cichorii, glycyrrhizæ.*

**FOLIA** *parietaria, malvæ, bismalvæ, endivia, acetosæ, portulacæ.*

**FLORES** *chamameli simplicis & Romani, cotylæ fœtida, meliloti, thapsi barbati.*

**SEMINA** 4. *frig. maj. & min. hordei.*

**FRUCTUS:** *passulæ minores, & majores exacinata, ficus, amygdala dulcia, glandes quercus, fraga.*

**EX ANIMALIBUS** *serum lactis caprini, s. & Stum, succus gammarorum, tali leporis, &c.*

**EX MINERALIBUS,** *acidula Ægrana, Pyrmontana, Ronneburgenses, therma Carolina, quibus addendus est liquor betulæ.*

**PURGANTIA,** licet per accidens, vim habet diureticam, & lotium certò certissimè pellendi efficaciam, ob consensum intestini recti & vesicæ. Altero enim sphinctere soluto, & alter portam pandit, *vid. Lang. miscell. curios. 6. p. 16.*

Celebrantur etiam aliàs hoc passu *rhabarbarum, pulpa cassia &c.*

Superstitiosa quædam proponuntur à vulgo, pro urinâ ciendâ. Sed aliis suppetentibus minimè debemus & incerta & inhonesta experiri, affirmante *Mercuriali tom. 4. cons. 36. p. 78.*

**R.** *rad. alb. ℥ij. fol. endiv. acetos. a. mj.*

*sem. citrull. melon. a. ℥ij.*

*passul. min. major. exacinat. a. ℥j.*

**Coq.** *in s. q. seri lact. caprin. Colat. ℔℔. adde*

*sir. betulæ, fragor. a. ℥ij.*

*tinct. st. cyan. ℥j. M. in fict. S. Rühl- und Treibe-Tranck!*

**R.** *seri lact. caprin. ℔℔. ℔℔.*

*tinct. ♀ diat. ℥ij. st. cyan. clyssi ℥ii Olin. a. ℥j.*

*sir. de althæâ Fernel. ℥ij. M. S. Treibemolcken,*

**R.** *decoct. bord. ℥iv. O bezoard. ℥j.*

*sir. fragor. alb. a. ℥j. M.*

**EMULSIONES** tum per se, tum ad correctionem calidiorum commodæ sunt.

Rx. *sem. violar. cucurb. melon. a ʒij. ammeos ʒj.*  
 ▽ *fragor. endiv. acetos. a. ʒij. M. F. l. a. Emulsio,*  
*adde cantbarid. ppt. ʒ. ij. magist. oc. ʒ. ʒ. vj.*  
*sirupi endiviæ q. s. ad gratiam. S. Harntræi*  
*bende Milch.*

Externè, quæ laxandi & emolliendi vim habent, conveniunt, ut *ʒ chamameli, liliorum alborum, amygdalorum dulcium,* lumbis inuncta. Quo in censu etiam numeranda *balnea & infessus ex stramine avenaceo, malvâ, betonicâ, chamamelo &c.* quæ sicubi restagnet *urina, cum aliis indicatis, commodè in usum vocantur.*

CAPUT VII.  
 Usus generalis & specialis.

Vacuatio hæc est universalis, quæ non solum vesicam, renes & partem simam hepatis evacuat, sed consecutione quâdam omnes venas & totum corpus exhaurit, quapropter pars superflua sanguinis serosa, & simul cum eâ vitiosi humores tam à naturâ quàm arte expurgari solent. *Zacut. Lus. l. c. p. 192.*

Evacuant diuretica ichorem acrem sanguinis, quæ evacuatio eâdem ferè cum sudore laude triumphat. Sudorifera per ambitum corporis materiam peccantem, diuretica ad vesicam deferunt & eliminant.

Hinc eadem materia & urinas & sudorem movere dicitur *11. Meth. Med. c. 9.*

Conveniunt inter se tum intuitu activitatis & virtutis, tum ratione materiæ, quam exturbant. Eadem quippe sudoris & urinae materia. Hinc etiam videmus illos, qui copioso defluunt sudore, paucam omninò reddere urinam. Finis idem est, sed modus diversus.

Si contigerit, *inquit Job. Baptista Montanus tom. 2. de simpl. med. facult.* ut aquositas vel sanguini admixta, vel crassior reddita fuerit, indigebit procul dubio his, quæ facile ad venas omnes ferri possint, & ubi penetraverint, fundere, incidere,  
 cras-



991.  
crassumque à tenui separare. Talia sunt plura calida & sicca in tertio gradu cum tenuitate substantiæ, seu λεπτομερεία partium. Interdum temperatiora eligenda, aut frigidis corrigenda.

Diuretica vitiosos humores variis è partibus purgare solent, præsertim ubi redundantia humorum circa renes, circa vesicam, aut circa gibbam hepatis partem obstructionem facit.

*Serenus l. 7. M. M. c. ult. ait:* sicut jecoris cavum per alvum purgatur, ita gibba ejus pars, per ea quæ □as movent.

*An in FEBRIBUS principio & ante humorum concoctionem convenient? quæritur. Galenus 4. de tuend. sanit. c. 5.* concocta medicari debere explicans illud etiam ad sudorem & urinam extendit. R. distingu. inter vehementiora, calida & sicca excessivo gradu, & temperatiora frigida. Illa, non hæc conducere possunt.

IN FEBRIBUS MALIGNIS sæpe natura per renales meatus malignitatis fomitem ablegat, unde ductum ipsius medicus sequens diureticis sæpe subvenit.

IN MELANCHOLIA diuretica commendat *Galenus 2. ad Glauc. 2.* præprimis in hypochondriacâ. Melancholici enim & lienosi sunt sputatores, & sero quàm maximè abundant, quod expromptè per diuretica expelli, palam est.

IN MANIA *Mesue & Abuali* diuretica planè excludunt. *Alii* tamen, quod memoriæ & sensus non rarò adest læsio, ut ægri lotii non persentiscant stimulum, aut idem reddere obliviscuntur, mediocria diuretica concedunt.

IN EPILEPSIA *Crato in consl.* terebinthinam hostiis involutam utilem esse perhibet. Multi in hoc affectu peculiari- ter venerantur diuretica.

*An in AFFECTIBUS PULMONUM convenient? Galenus l. 5. simpl. med. fac. c. 13. & 22.* scribit in educendo pure à pulmonibus & à pectore seu in EMPYEMATE diligenter vitanda esse ea quæ □am provocant. R. i. dist. inter diuretica calida multum & parum. Calida excessivè utique non conveniunt, quia resolvunt partes subtiliores & dimittunt crassiores, cale-

calefaciendo & exsiccando nimis, sputa magis cogunt & densant, ut postea difficilius ejiciantur. 2. inter solitaria & cum aliis mista, unde *Avicenna* etiam dicit, fugienda esse in his provocantia urinam, sc. quæ solùm urinam provocant.

IN ASTHMATE non tutum esse diureticorum usum ait *Ludov. Septal. l. 6. animadvers. 134.*

IN PLEURITIDE dantur diuretica, non tam ad educendam materiam è thorace per urinas, quàm ad incidendum, tenuandum & facilius spuendum.

Pleuritides per urinæ vias judicatas perhibet *Galenus*. Si itaque vergit materia ad renes & vesicam, diuretica apprimè conducunt, qualia exempla videre licet apud *Amatum Lusitanum cent. 3. curat. 68. Zacut. Lusit. l. 2. prax. admir. obs. 118. Schenckium l. 2. obs. 99. Fabric. Hildan. cent. 1. obs. 31.*

IN OBSTRUCTIONIBUS HEPATIS valdè celebria sunt diuretica. Hepar & ob viarum angustiam, & ob copiam pertranseunris substantiæ assiduè obstructionibus obnoxium, *Gal. de constit. art. med. c. 17.* Si in gibbâ materia resideat parte, diureticis expurganda *ibid. § 7. meth. c. ult.*

IN ICTERO *ἔμφυτὰ* propinare jubet *Hippocrates de loc. in hom. c. 40. t. 6.*

HYDROPICI potissimum per lotium sunt evacuandi, scribit *Ludov. Septal. l. 7. §. 50.* Cautelas tamen adjicit *ibidem §. 52.* Hinc & diuretica in hydrope longè sudorificis præfert *Carolus Piso obs. 116. p. 318.*

In hoc morbo diuretica excellentiora non secus ac aperitiva specifica sunt. Eucliones alias sunt hi ægri, & parcissimos in reddendâ se sistunt urinâ; felices itaque habendi illi, qui cæteris paribus copiosè urinam emittunt.

Notandum tamen est, in curando hydrope, ut statim ab initio purgantia commoda adhibeantur: postea verò diuretica & hidrotica succedant. Secus nimirum fit *ὑστερον προωτερον*: serum enim seu aqua omnis ad renes & ureteres devolutum ibi postea per aggravationem sæpe pertinacissima symptomata architectatur.

Auto

Autores nonnulli decocta tunc fieri præcipiunt ex verè diureticis , & accipienda esse in magnâ dosi, ad ℥x. & plures, non firmari in ventre affirmantes hæc liquida, sed exire statim & propterea nihil detrimenti inferre posse.

An in affectibus lienis, v.g. scirrho & aliis conveniant, controversia est apud practicos. Ad negativam inclinat Hollerius de morb. intern. l. 1. c. 40. attamen seipsum in scholiis explicat, item Ludov. Septal. l. 7. §. 61. Ratio dubitandi est, quia nulla via est à liene ad renes, ut docet Galen. 13. M. M. c. 17.

Contrà verò Hippocrates l. 2. epid. s. 2. scribit, Bionem quendam à tumore lienis liberatum copiosâ urinâ, quod & dicit lib. ejusd. s. 3. imò l. de affect. c. 21. t. 18. docens rationem curandi lienosos, jubet uti diureticis, ἃ γέγραπται μαλθάσοντα τὸν σπλῆνα, que scripta sunt mollire lienem, ἢ Διγ. τῆς κύστιος καὶ θαρρα, & per vesicam purgantia. Et Galenus 2. ad Glaucon. c. 2. commendat usum diureticorum in QUARTANA.

Sanguis lienis & melancholicus est serosus, ut Hipp. l. 2. epid. sect. 6. t. 21. & dilutus, ut Aristoteles ait sect. 9. probl. 4. Et lienem aquæ locum esse, Hippocrates solenniter affirmat, moliturque natura tales evacuationes sponte, hinc urinæ nigrae, quæ extra hos terminos μεγάλην τὴν κάκωσιν viscerum denunciant.

Neque ad vias occultas confugere opus habemus, quippe lien, Hoffmanno c. 15. de lien. & Spigelio l. 8. c. 14. anat. afferentibus, lien innumeras arterias habet etiam ideò, ut sentina illa humorum brevi & compendiariâ viâ ad exitus urinarios pervenire possit.

IN DYSENTERIA Aetius & alii commendant diuretica. Videndum tamen, ne calidiora adhibeantur, & præsertim si medicamenta non exeant per urinam, unde Celsus l. 4. c. 15. ait, non esse adhibenda, nisi in quibus promptè per urinam evacuare consueverunt: si enim aliter eveniat, noxam augment.

Deinde metuunt & videre jubent autores, ne vasa illa angustiora, adductis ad ea acrioribus succis corrodantur & ulcerentur, quam ob rem non in principio, nec propriè dictis, sed moderatis frigidis & humidis uti volunt.

C

Diu-



Diuretica alvum siccam reddunt, quod colligitur ex *4. aph. 83.* Humoribus enim ad renes & vesicam majori copia delatis, sicciora fieri intestina, atque alvum inde pigrescere necessarium est.

Hinc est, cur omni diarrhoeæ, dysenteria, hepatico fluxui, periti medici omnibus medicamentis, urinas moventia adjungunt, ut scilicet humores ad intestina ituros ad renes devocent, sicque fluxum quadantenus sistant; *Heer. spadacr. c. 14. p. 122.*

IN AFFECTIBUS RENUM & VESICÆ prohibent nonnulli diuretica, cum secundum *Galenum 13. M. M. c. 6.* à partibus affectis revellendum, neque ad illas trahendum sit. Sed distinctione adhibitâ in usum vocanda diuretica, modò propriè, modò impropiè dicta. Materiae appulsum promovent quidem, sed transeuntem, non immanentem.

IN CALCULO sæpe peccatur, cum laborantes renum calculis omni tempore diuretica adhibent, quippe quæ, impurgato corpore usurpata, crudos & crassos succos ad renes ipsos trahere, sicque malum augere consueverunt. Tunc plus est periculi, ut loquitur *Crato cons. 144.* à remedio, quàm ipso morbo.

Aliàs plerumque diuretica simul calculos frangunt, & vice versâ.

Si calculus ureteres occupet & dolores acerbissimi fuerint, prohibet usum diureticorum *Ludov. Septal. l. 7. caut. 124.* In præservatione calculi, si cum regimine adhibeantur, concedit *idem*, sin minus, noxia esse ait, *ib. caut. 125.*

An menses moveant? disceptatur. *Galenus 5. de simpl. med. fac. l. 22. de provocant. menses scribit*, diuretica esse calida & sicca, emmenagoga verò calida tantum, quia aliàs absumerent sanguinem. Dicendum itaque videtur i. distinguendum inter effectum primarium & secundarium seu per accidens. *κτ̄ συμπε- Ennos* medicamenta diuretica menses movere possunt. 2. Sunt medicamenta quæ urinas solùm, sunt quæ menses solùm movent, quædam utrumque exsequuntur, ut *apium & asarum.*

UTERUS ALBO FÆTENS FLUORE diuresi mirificè mundificatur, teste *Schwalbio Disq. Therap. s. 5. pag. 97.* In



In POLLUTIONE NOCTURNA non tutus videtur usus Mercuriali tom. 3. conf. 42. partim quia potius humores abdu- cendi, quàm eò invitandi, partim, quia vera diuretica sangui- nem colliquant, calefaciunt & exsiccant. Nihilominus, si ve- rum est, affectum hunc naturales suos debere serosa colluviei, pro ratione indicantium & diureticis expugnandus venit.

In ARTHRITIDE urinam pellentia illustrantur enco- mio Hippocratico 4. aph. 74. & experienciã, testatã, urinã dum multum emittunt podagrìci, minus frequenter doloribus in- festari.

In HÆMORRHOIDUM cœcarum dolore diuretica com- mendantur temperatiora, ut cursus fluentis sanguinis & bilis retardetur, & ad urinarios meatus derivetur.

CAPUT VIII

modum adsumendi perpendit.

MODUM quoad, diuretica actu calida non frigida admini- stranda, observat Capivaccius l. 6. prax. c. 26. vel secundum alios tepida quodammodo, ut minus subito alterentur & viscera & calor natus.

Deinde convenit & motus & deambulatio, ut tum melius actuetur medicamentum, tum quoque renes incalescant magis; hinc etiam circa acidulas idem observatur.

Quenam forma prestantior sit, liquidane an solida, si qua- ratur, dicendum est, utique liquida citiori activitatis ενεργεια & penetrandi vi pollere, unde liquida potissimum eligenda, sicca verò humidis vehiculis diluenda.

TEMPUS UNIVERSALE interdum est præmissis univer- salibus aliis, ubi crassior materia obedire διαρρησει posse non videtur, quo casu præparantia & purgantia conducunt; item si copiã humores turgeant, ne ex primis viis, & corpore toto confluentes ad angustas & vias illas obstruant 7. M. M. c. ult. interdum principem sedem sibi vendicant, quatenus indicatio- nem primariam de se præbent.



**PARTICULARE** tempus determinat præsentia humorum aptorum, qui per urinam evacuari possunt, quæ si copiosa sit diuturniorem remedii continuationem exposcit. Continuus enim illorum usus, ut si & manè & meridiè & vesperi usurpentur, eorum vim & efficaciam auget. Hoc si fiat, non inconueniens est astringentia & roborantia commisceri, ut ne tonus renum labefactetur.

*An cum cibo miscenda*, si quærat, & distinguendo inter medicamentosa, ut *ceterach*, *betonica*, quæ ventriculo non sunt familiaria, sed cibum crudum secum ducunt, & *alimentosa*, ut *rad. petroselini*, *asparagi*, *semina melonum*. Illa renuunt cum cibus misceri, hæc permittunt. Intervenientia cibus diuretica *χυλοποίηση* perturbant, unde *Hippocrates de loc. in hom. c. 40. t. 7. πρὸ τῶν σιτίων, ὡς μὴ τρέφεται διὰ τὰς τῆς χροῦς τὸ σῶμα*, ante cibos, ne ab eo tempore corpus nutriatur, administrationem illorum inculcat, quod itidem in acidulis observatur.

**QUANTITATEM** proportio indicantis & indicati metitur.

In majori dosi quàm præparantia, usque ad  $\bar{3}x$ , exhibenda esse monet *Capivacc. l. c. p. 889.* ad quam tamen dosin hodiè vix adscendimus.

## CAPUT IX

### cautelae & conclusionem subjungit.

**I**N tempore adhibere ut medicamenta omnia, ita in primis diuretica, rerum omnium est primum.

Si ob crisin, per sudorem futuram, urina subsistat, mitioni diureticis movendæ nullo modo incumbendum, ne naturæ motus salubris præpostero ordine impediatur, quale exemplum adnotavit *Heer. obs. 5. p. 87.*

Vacuatio per urinam paulatina est & morosa, ut asserit *Galenus 4. aph. comm. 74. & 3. progn. 23.* Quare solum in chronicis morbis & febribus productis tentanda est, non in acutis, qui

qui citò & celeriter operantibus præfidiis remediorum indigent.

In acutis morbis frigidis diureticis utimur, in chronicis propriè dictis, quæ humores crassos extenuant, liquant & obstructions auferunt.

In usa cavendum, ne diutius, ac par est, eorum usui insistamus, ne diabeten & alia mala excitemus. *Christoph. à Vega l. 3. art. med. c. 11. p. 499.* nisi quis, inquit, modicè diureticis utatur, periculum est, ut possit cohiberi urinæ fluxio. *Addit: cum urinam profluam videris, eo non amplius utaris.*

Melius est & h. l. per *ἴσχυρον* lentè evacuare urinam, quàm *ἀσθενῶς καὶ βίαιως*, simul & semel adhibitis fortioribus illud tentare.

Urinam promoventia medicamina nunquam sunt exhibenda, renibus aut vesicâ inflammatione vel ulceribus laborante, præsertim in principio, eò quod cum perducant humores ad renes, planè non parum inflammationem augent; etiam à frigidis, *sem. melon. cucurb. citrull. & aliorum omnium usu abstinendum mandat Pl. l. 3. c. 29. p. 387.* quod tamen rigidum videtur nimis.

Diligenter notandum est, ne crebriore diureticorum propriè dictorum usu sanguis in prægnantibus concitetur, menses moveantur, & expultrix uteri irritata abortum procuret, præcipuè in dispositis.

In diurnâ lotii retentione diuretica statim non conveniunt, ne distensio vesicæ & dolor, invitato sic temerè ulterioris feri affluxu, exasperetur, *Lang. miscell. med. curios. 6. p. 15.* quod in specie ad febres malignas applicat *Ballonius l. 2. consil. 27.*

*Fabius 10. instit. orat. 1.* ait: non id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni autores dixerint, utique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur.

Quid de nostrâ sperabimus ingenii infantia, qui prima tyrocinia

tyrocinia, non culta nec interpolata edimus? In magnis voluisse fat est. Tu B. L. pro candore tuo omnia æqui bonique consule, nec limâ curatori adhibitâ, qui hæc ausi sumus, deterre.

SOLI DEO GLORIA.



PEREXIMIO

CONRADO THEODORO  
WITTENIO,

speciosos in studio medico progressus & ad  
alta conatus

FELICITER

*apprecatus commendat*

GUERNERUS ROLFINCIUS,

Philos. & Med. D. P. P. Academiae  
Senior, Decanus.



ITTENI, tua te virtus  
& Apollinis artes  
exornant, nec non famam  
super astra volantem  
conciliant meritis, dum jam sine  
fraude decenter  
quæ lotium moveant, referas pe-  
netralia sacra.

En



En fugiunt tenebræ: lux aurea  
dimovet umbras.

Gloria, quæ cineres tumulosque  
perosa, bonorum  
crescat in immensum, volitetque  
per ora viroꝝ.



**Q**uod Batavis confine solum,  
quod patria virtus,  
quod labor infractus Tibi conces-  
sere, benigno  
educ in cathedram fato, victoria  
furgat,  
& præcedentem maneant condi-  
gna laborem  
præmia, quæ noster meditatur red-  
dere Phœbus.

*Laudatissimis conatibus pereximii Dn. Respondentis  
gratulabundus apponebat*

P R Æ S E S.

Vir-



**V**irtutis stimulos sic dat Tibi  
docta cathedra:

Si labor ingenii nunc propè:  
nulla procul!

Sed quæ fausta volo, non hic mea  
charta superbè  
jactet: mox laude in cresce,  
fenefce novâ.

*Hisce Claro Viro Juveni Theodoro Conrado Wittenio,  
Amico & Conterraneo suo gratulari voluit*

Gerh. Henr. Heinechius,  
Sufatô Westphalus.



**G**Rator, dum scandis summâ  
cum laude cathedram:

Sicquè tuus nullo tempore ces-  
set honos!

*Pauxillum hocce subnectere voluit Politissimo & Excellenter  
docto Dn. Theodoro Conrado Wittenio, Fautori, Amico  
ac civi suo singulariter intimèq, colendo,*

Andreas Büser / Neogefecâ  
Sufatô - Westph.

**F I N I S.**



153566


ULB Halle 3  
005 308 526



W 17







32 927

ANNUE JESU!  
DIATRIBEN MEDICAM  
DE  
**DIURETICIS,**

consensu & autoritate illustris & gra-  
tiosissimæ Facultatis Medicæ in floren-  
tissimâ Salanâ,

*publicæ Φιλιατρῶν Διασκεψῆς subjiciunt*

**GEORGIUS WOLFFGANGUS  
WEDELIUS, MEDICINÆ  
LICENTIATUS,**

**CONRADUS THEODORUS VVITTE,  
SUSATO-VVESTPHALUS,**

*in Auditorio Medicorum,*

*ad diem Augusti*

1667.

---

JENÆ,  
TTPIS SAMUELIS KREBSII.